



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

§. 8. Quid aliud possint inferiores circa casus reservatos Superioribus:

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

faciat promissionem comparendi per se, vel per alium eoram superiore, vel ejus delegato sub gravi culpa inobedientiæ & pœna reincidentiæ, ut dixi *sup. n. 67.* nisi 1. certò constet, impedimentum nunquam cessaturum, quia hæc promissio foret tunc inutilis, vel nisi 2. Episcopus aliquis, ut juxta Laym. *l. c. n. 6.* potest, per præscriptionem obtinuerit Jurisdictionem, à quibusdam casibus Papalibus, frequenter contingentibus (v. g. à notoria Clerici percussione, hæresi &c.) absolvendi sine onere isto, ut reus coram Pontifice, ejusve Legato compareat; vel nisi 3. delictum sit ante pubertatem commissum, sive jam ejus absolutio etiam antea, sive postea primùm petatur, *cap. fin. de sent. Excom.*

§. VIII.

Quid aliud possint inferiores circa casus reservatos superioribus?

70. Extra articulum mortis, & quod articulo mortis æquivaler, extra impedimentum perpetuum vel diuturnum, inferiores sacerdotes nihil (directè) possunt in casibus, quos cum vel sine censura sibi vel alteri reservavit superior; nisi ex jure vel privilegio id concedatur. Id unum ergo pœnitentibus persuadere narrantur, ut ad superiores & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant, Trid. *sess. 14. cap. 7.* Ratio, quia hoc ipso quòd peccatum aliquod vel censura sint reservata superiori, est inferioribus ablata Jurisdictio in illa, ergo nihil in ea possunt. Dimidiare autem Judicium sacramentale, & sola non reservata directè absolvere,

aut non integrè confiteri, ordinariè & absque gravi causa non licet.

71. Dixi, nisi ex jure concedatur. Nam I. in Trid. *sess. 24. cap. 6.* concessum est Episcopis, ut possint in quibuscunque casibus occultis, etiam sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, vel per Vicarium ad id specialiter deputandum; in foro conscientie gratis absolvere, impositâ pœnitentiâ salutari. Idem & in hæresi crimine est in eodem foro conscientie Episcopis tantum, non eorum vicariis permissum. Huic tam amplæ potestati probabilius quidem est, esse quoad casus in Bulla cœnæ contentos derogatum per clautulam ejusdem Bullæ; Palao *tr. 4. Diss. 4. p. 3. §. 1. n. 22.* Quia tamen etiam contrarium probabile censeatur ab autoritate & ratione apud eundem *l. c. n. 21.* & quia quodcumque probabile est, aliquem habere Jurisdictionem Ecclesiasticam, hoc ipso illam ab Ecclesia certò habet; ut in alio casu bene argumentatur Tamb. *de Confess. l. 3. cap. 7. §. 1. n. 1.* & dixi *sup. n. 53.* ideo videri potest, Episcopos adhuc eadem potestate in eadem amplitudine tunc posse uti. Tamb. *l. c. §. 2. n. 4.* Sed Decretum Alex. VII. 1665. editum huic opinioni videtur non parum officere, damnando *n. 3.* propositionem, quæ dicit, quod *sententia asserens*, per Bullam Cœnæ non derogari facultati Tridentini de occultis criminibus, sit 1629. 18. Julii in Consistorio visa & tolerata; vide Gobat *tr. 7. n. 370.* Quidquid autem de hoc sit, absolutus per Episcopum à casu Papali, à quo potest absolvi, non tenetur postea comparere

parere coram Pontifice, nisi ratione censura reservata. Addit Tamb. *l. c.* cum Palao *l. c. n. 19. Et aliis*, Episcopos posse non obstante Trid. potestatem absolvendi etiam ab occulta hæresi committere Vicariis suis, & cuivis alteri sacerdoti; sed pro unoquoque tantum casu in particulari, cum contingit; quia Trid. loquitur tantum de Vicariis, qui deputarentur specialiter quidem ad absolvendum ab hæresi, sed cum generalitate quemcumque quovis tempore. II. in particulari jure Societatis JESU est ejusdem Religiosis concessum, ut in itinere constituti, si sacerdotem ex Societate non habeant, & quamvis necessitas nulla cogat, confiteri velint, possint etiam à reservatis per quemvis externum sacerdotem directè absolvi, sed cum hoc pacto & onere, sub mortali obligante, ut peccata reservata deinde suo superiori, vel de ejus licentia alteri iterum confiteantur: in Ord. Gen. cap. 6. de quo *sup. n. 64.* quam tamen obligationem iteratò confitendi potest superior, si velit, postea remittere. Vide Tamb. *de casib. reserv. cap. 11. §. 1. à n. 25.* Laym. *cit. cap. 12. n. 12.* III. afferam aliam Juris concessionem infra *n. 74.* & IV. mox aliam *num. seq. v. si postevius.*

72. Restat autem hîc dicere, quid agendum sit, quando habens casum reservatum cum vel sine censura non potest hîc & nunc sine scandalo, sine infamia, gravi damno aut periculo in bonis corporis, vel fortunæ omittere Sacram Communionem, aut Celebrationem Missæ, & tamen tunc propter impedimentum aliquod transitorium non potest adire Superiorem vel alium, legitima absolvendi

potestate præditum. Inprimis itaque attendi debet, an constitutus in tali necessitate extemporali habeat præter reservata aliud peccatum mortale, aut saltem veniale; vel non.

Si posterius, tunc non potest ullo modo ab inferioribus absolvi ob totalem potestatis defectum circa materiam; nisi dicamus pro ejusmodi casu necessitatis ipsum Jus ex æquitate supplere defectum; vel Superiorem velle, ut in eo casu cesseret Reservatio; quorum illud Palao *de pœnit. Diss. un. p. 15. §. 7. n. 6.* & istud Dicast. *cit. Diss. II. dub. 1. n. 305.* censet esse probabile; sed ita, ut, quamvis hæc ratione directè absolvatur, id tamen neque Jus, neque Superior aliter censeatur concedere, quàm cum implicito pacto & onere, postea nihilominus se adhuc etiam quoad illa peccata sistendi coram Superiore, vel ejus delegato, ut *num. præced. dictum in fine.* Quidquid autem de hoc sit, potest aliquis in tali necessitate etiam communicare, vel celebrare absque omni prævia confessione; modò eliciat prius perfectam contritionem; quia verè non habet copiam confessarii; quo juxta Palao *l. c. n. 8.* adhuc censetur carere, cum non habeat alium, quàm per quem absolvi possit cum prædicto onere comparendi.

Si prius, tunc variant DD. sententiæ apud Palao, & Dicast. *ll. cc. p. 3. n. 3.* Nam I. est, eum non teneri, imò nec posse confiteri aut absolvi, si præter reservata habeat alia mortalia non reservata; quia non adest, qui omnia possit absolvere; & unum mortale sine altero confiteri, aut absolvere, est contra requisitam integritatem; posse itaque &

hunc omiſſa confeſſione communicare vel celebrare, modò priùs eliciat perfectam contritionem. Vatq. & alii. II. eſt, cum poſſet acitis reſervatis ſola non reſervata confiteri, ab iſque abſolvi. Diccaſt. *l. c. n. 298.* Sotus & alii; ſicut enim ob multas alias, ita & ob iſtam cauſam licitum eſt dimidiare confeſſionem materialiter, faceréque tantùm formaliter integram. Et hæc ſententia utilis eſt, cùm quis perfectam contritionem antè elicere; vel confeſſionem ſine ſcandalo, infamia &c. omittere non poteſt. Imò Palao *cit. n. 8.* & Diccaſt. *l. c.* cum aliis communiffimè contendit, mortalia non reſervata eſſe tunc etiam neceſſariò ante communionem vel celebrationem confitenda. Sed alii negant, quia ad confeſſionem mortalium ante Communionem non magis obligamur, quàm ad integritatem materiale confeſſionis, ergo ſi in hoc caſu non obligamur ad iſtam, nec obligabimur ad illam. III. eſt, cum poſſe omnia confiteri, & à non reſervatis abſolvi directè; à reſervatis indirectè. Tan. b. *de Commun. cap. 7. §. 6. n. 20.* & *in tr. de Caſib. reſervat. cit. cap. 12. §. 3. n. 3.* ubi ait, hanc ſententiam eſſe omnium planiffimam. Quòd autem aliquis etiam debeat omnia confiteri, docet quidem Palao *l. c. n. 9.* & Laym. *l. c. n. 11.* ſed meritò negat Diccaſt. *l. c. n. 310.* quia non poteſt cogi ad reſervata bis confitenda. Neque obſtat, ſi peccato reſervato ſit fortè annexa quoque excommunicatio reſervata, circa quam inferior in caſu temporaneæ neceſſitatis nihil poteſt. Nam cenſura iſta non impedit ab uſu Sacramentorum, niſi ex præcepto Eccle-

ſiæ; & hoc in huiſmodi caſu neceſſitatis non obligat. Laym. *l. c. n. 10.* Diccaſt. *l. c. n. 313.* Similiter non obſtat textus ex Trid. *ſup. num. preced.* allatus, quia inferior vel non abſolvit à reſervatis, cùm Reſervatio in caſu etiam temporaneæ neceſſitatis ceſſet juxta Diccaſt. vel cùm non directè, ſed tantùm indirectè abſolvat à reſervatis, adhuc verum eſt, quòd circa ea nihil poſſit, ut oſtendit Diccaſt. *l. c. n. 301.* vel ſi directè ab iſ abſolvit, id tantùm facit, quia ita à Jure ex æquitate conceditur juxta Palao.

Omnes ergo & ſingulæ hîc relatæ ſententiæ ſunt probabiles, & poteſt quilibet pœnitens illam, quæ ſibi commodior videtur, amplecti. Dian. *p. 3. tr. 4. Ref. 104.* vide etiam *lib. 1. ſup. p. 3. à n. 63.* Juxta ſingulas tamen manet pœnitens obligatus, per ſe, vel, quod ſufficit, per alium coram ſuperiore vel alio legitimam poteſtatem habente comparere, & quidem propterea, ut in primis ab ipſa cenſura reſervata, ſi peccato annexa fuit, abſolvatur; deinde ut ipſum quoque reſervatum peccatum, etſi cenſuratum non fuerit, confiteatur juxta pactum *ſup. n. 64. Et n. 71. in fine.* indicatum; & ab eodem iterum, vel ſaltem tum primò directè abſolvatur: niſi ſuperior alicui jam antè directè abſoluto velit, ut poteſt, obligationem iteratò confitendi poſtea remittere. Tan. b. *cit. ſup. n. 71. in fine.* Aliud itaque hîc eſt, quàm cùm quis in articulo mortis vel propter impedimentum perpetuum aut diuturnum à reſervatis peccatis & cenſuris per inferiorem Sacerdotem abſolvitur, ut conſtat ex *n. 67. Et 69. ſup.*

73. Amplius quid, & à Confessariis bene observandum, tradit Laymannus *cit. n. 11.* si enim pœnitens bona fide credat, se posse per Confessarium absolvi eum onere sistendi se Superiori; vel casum suum non sciat esse reservatum, illūque cum aliis non reservatis confiteatur; arbitratur, inquit Laym. *ei plerumque absolutionem dari posse cum illo onere;* modò non obstat aliqua reservata Excommunicatio; quia etiam hîc, inquit Laym. aliqua necessitas urget, cum pœnitenti ita ex sua parte bene disposito valde grave sit, sine absolutione discedere. Alii quidem verbis Trid. *sup. n. 70.* allatis insistendo volunt, ut Confessarius mittat pœnitentem ad Superiorem, vel ipse adeat, impetrètque prius potestatem, & tum primum eum absolvat; sed benigna Laym. doctrina est ad praxin accommodatior.

74. Obligatus ad comparandum coram Superiore propter reservata, satisfacit, si coram eo vel ejus delegato v. g. aliquo privilegiato Religioso compareat per se vel per alium. *sup. n. 67. & 69.* Et verò ipse quandoque Confessarius, saltem ex charitate, tenetur adire Superiorem, & potestatem absolvendi petere, si ipse commodè possit, & videat pœnitenti non esse admodum utile, vel non facile persuaderi posse, ut se ipsum sistat. Laym. *cit. cap. 12. n. 7. in fine.* contra Tamb. *de Conf. l. 3. cap. 9. §. 4.* ubi *n. 13.* concedit, Confessarium posse id facere; sed *n. 17.* negat eum unquam teneri. Debet autem Confessarius in petendo ita cautus esse, ut nullo verbulo indicium præbeat Superiori ad conjecturam aliquam faciendam de persona, pro qua petit; adeoque sæpe ne

quidem casum reservatum ejusque materiam exprimere debet aut potest, quia alioqui esset periculum frangendi Sigilli. Coninch, *Disp. 8. dub. 14.* Ordinariè ergo sufficit dicere: *peto facultatem pro absolutione à reservatis.* Neque superior rectè facit, si multis interrogatiunculis ulterius urgeat. Tamb. *de Casib. reserv. cap. 8. §. 2. num. 5.*

Tenetur porò Superior & quidem sub peccato mortali potestatem in reservata concedere idoneo Confessario, cum pro occurrenti aliquo casu eam petit, & nullum vel dubium tantum est periculum, ne concessio cedat in damnum pœnitentis, vel communitatis, vel tertii. Tamb. *l. c. n. 2.* ubi ait, tale periculum rarissimè subesse; & cum quandoque re ipsa subest, melius esse, ut alia media cavendi damnum excogitentur, quàm ut petita potestas negetur, vide Dicast. *de Pœnit. Disp. 11. dub. 19. à n. 324.* Superior verò Regularis ex Decreto Clem. VIII. 1593. 26. *Majis edito* apud Tamb. *l. c. cap. 7. §. 2. n. 1.* est sub mortali obligatus dare potestatem in reservata Confessario, qui pro ordinario deputatus est, & cum petit, simul judicat, eam hîc & nunc esse committendam; sicut judicare potest & debet, quando nullum ex prædictis damnis rationabiliter timetur, Idem *ibid. n. 37.* Imò si Superior tunc facultatem dare noluerit, potest hujusmodi Confessarius absque ea pœnitentem à reservatis illa vice liberè & sine ullo onere sistendi absolvere; idque toties, quoties ita in casu dato evenerit. Sic enim Paulus V. & postea etiam Urbanus VIII. confirmando & declarando Decretum Clementinum statuit apud Tamb. *l. c. n. 9. 40. & 43.* Dicast. *l. c. n. 339. & Disp. 10. n.*

10. n. 184. Lugo de pœnit. D. 20. n. 40. Pellizar. tom. 2. tr. 8. n. 60. Dian. p. 3. tr. 2. Ref. 126. Gobat tr. 7. n. 705. & habetur tom. 4. Bullarii estque inter Bullas Urbani VIII. 28. in Decr. super reserv. casuum. De quo plura in Appendice. Et hæc est tertia Juris concessio, de qua memini sup. num. 71.

Quia autem Urbanus VIII. loquitur hic tantum de deputatis pro ordinariis Confessariis, ideo ejus constitutio est tantum de his intelligenda, & non de alijs; quamvis isti sint etiam pii, docti, & apti pro Ordinariis. Tamb. l. c. n. 41. & Dicast. ll. cc. contra Quintanad. & alios. Ut tamen Superior etiam istis, si petant, pro occurrente casu det potestatem in reservata, est juxta aliquos præceptum ex lege charitatis; juxta alios est tantum consultum.

§. IX.

De Confessario petente facultatem absolvendi à reservatis.

75. Confessarius si loco pœnitentis petit, & impetrat à Superiore potestatem absolvendi à reservatis, potest etiam absolvere ab iis, quæ ex confidentia confessionis hujus antè fuerunt commissæ; nisi expressè excipiantur. Quod si petat pro aliquo casu particulari, certum est, quod non possit absolvere ab alijs, quos pœnitens primùm commisit, postquam voluit, ut adiret Superiorem; & dubium est, an possit, si petat simpliciter pro reservatis, quia videtur tantum petere & accipere potestatem pro jam antè commissis. Ad cavendos ergo scrupulos & frustrationem concessionis, melius & consultius est, ut petatur & detur potestas pro omnibus ca-

sibus, qui tempore confessionis existunt, sed cum hac restrictione, ut si pœnitens abuti velit hac concessione, ea non duret ultra tempus, intra quod commodè potest confessio fieri. Tambur. l. 1. cap. 9. §. 2. & 3.

76. An Confessarius vi potestatis, quam pro absolutione à reservatis petivit, & impetravit à Superiore, possit etiam ipse absolvi, pendet à verbis petentis; & præcipuè à mente concedentis. Si enim utitur quis verbis determinatè significantibus, quod petat sibi dari potestatem absolvendi aliquem à reservatis, tunc ipsi nihil prodest, quia nec ipse seipsum absolvere, nec alteri potestatem hanc subdelegare potest. Si autem utatur verbis ita ambiguis, ut ex communi usu æquè possit intelligi petita esse facultas pro ipso Confessario, ac pro alio, dicendo v. g. *indiget aliquis ex vestris facultate, ut absolvatur à reservatis, peto, ut ei detur*, tunc pendet ex mente Superioris, an eam velit tantum pro aliquo distincto à Confessario, vel etiam pro ipso Confessario, vel indistinctè pro quocunque concedere. Quia tamen Superiores in re tam gravi communiter non solent incerto Sacerdoti & quasi cæco modo potestatem absolvendi committere, ideo si generatim dicant; v. g. *absolvatur*, intelligunt communiter *per ipsum petentem*. Unde hujusmodi concessio communiter censeretur non potest ei prodesse. Deberet ergo necessariò in hoc casu dicere, sibi pœnitentem nolle vel non posse ob justas causas confiteri, adeoque petere, ut ei vel libertas eligendi Confessarium detur, vel alius Confessarius nominatim designetur. Vide Dian. p. 3. tr. 4. Ref. 142. Dicast. l. c. à n. 350.

§. X.